

lantia, sanguinis, vitæq; periculum ipsi sibi conciliarunt, magno parentum & amicorum suorum luctu. Cogitate etiam, multis ægrotis nocturnas illas & barbaras vociferationes admodum molestas esse: imò viros graves atq; honestos graviter offendere, quorum vos gratiam & benevolentiam interdum sobrii omni modo captatis, noctu ebrii turpiter repellitis. Paternè igitur vos moneo, atq; etiã severiter, sub pœna statutorum, edico, à talibus cœptis ut abstineatis.

Quod superest, Deus Opt. Max. toto pectore precor, ut Spiritu suo sancto vos in via Christianæ pietatis & modestiæ dirigat, studiisq; vestris cumulatè benedicat.

Servet etiam, & omni benedictionum genere perfundat inclytam hanc Academiam, cū suis Doctorib. & Professoribus, ut studia veræ pietatis, & bonarum literarum, copiosè, multaq; cum utilitate Ecclesiæ & Reipubl. Christianæ inter nos vigeant, florentq;.

Servet deniq;, & tanquam pupillam oculi sui ab omni malo custodiat, spiritusq; sapientiæ, pietatis, & fortitudinis magis magisq; instruat atq; gubernet Serenissimum Principem ac Dominum, D. FRIDERICUM V. Com. Palatin. Rheni. S. R. Imperij Electorem, Ducem Bavarix, &c. Dominum & Patronum Academix nostræ Clementissimum, unâ cum Serenissima Coniuge, charissimis Liberis, Matre, & Fratre, totaq; familia Palatina, nec non præstantissimis Dominis Consiliariis, fautoribus Academix nostræ summè honorandis: ut perturbatissimo hoc rerum Imperij statu, gubernacula Archi Palatinatus sui prudenter, fortiter, feliciterq; sustineat: nosq; sub umbra alarum Celsitudinis

eius tranquillam & quietam vitam degamus, cum omni pietate & honestate. Tibi, Domine Deus noster, sit benedictio & gloria,

AMEN.



ARISTARCHUS
sive
DE CONTEMPTU
Linguae Teuto-
nicæ.

Auctore
MARTINO OPITIO.



BETHANIÆ,

EXCUDEBAT JOHANNES
DÖRFFER.



Cicero pro P. Sextio.

Amemus patriam, consulamus bonis: præsen-
tes fructus negligamus: posteritati & gloriæ servia-
mus: id esse optimum putemus, quod erit rectissi-
mum: speremus quæ volumus, sed quod acciderit,
feramus: cogitemus denique, corpus virorum for-
tium magnorumque hominum esse mortale, animi
vero motus & virtutis gloriam sempiternam.

426449



MAGNIFICIS ET NOBILISSIMIS
VIRIS, DN.

FRIDERICO à

Kreckwitz & Musten in

Denchwitz etc.

ET DN.

WIGANDO à Gersdorf

in Lindaw /

EQUITIBUS SPLENDIDISSIMIS.

IN Orbe hoc universo, Viri No-
bilissimi, nihil homine, in ho-
mine nihil animo præstantius
fabricator sapientissimus collocavit. Quæ
excelsa mens & cœli, undè originem tra-
hit, æmula, unumquemque nostrum stu-
diis certis & cogitationibus donat. Nec
quisquam mortalium tam iniquo fato vi-
vit, qui non semina aliqua virtutis conci-
pere secum audeat. In hoc tamen com-
muni æstu, varijs affectibus & curis rapi-
mur quisque, pro ingenii nostri, aut for-
tis

tis in quam nati sumus, dignitate. Eam-
mentium diversitatem, si quicquam, no-
bilitatem nostræ ætatis vota & diversæ cura-
rum viæ produnt. Quidamenim omnem
conatum ac industriam literis impen-
dunt, & tum demum generis sui existi-
mationem tueri se probe censent, si,
quos splendore natalium excuperant, eos-
dem etiam doctrinæ eminentia post se
relinquant. Laudabili more: nisi ad char-
tas istas veluti scopulos aut Sirenum can-
tilenas consenescant, & cum omnia sciant
hoc ipsum quoque quod sunt ignorent.
Alii nihil nisi equos loquuntur & molos-
fos, ac quot feras uno die confecerint,
neminem quenquam volunt latere. Tela
alii fulminant & gladios: alii sola morum
& humanitatis affectatione exercentur.
Perit his omnis plerunque labor inanibus
studijs: & cum diu vixerint, nondum ta-
men se vivere meminerunt. Otioso ne-
gotio deterunt florem ætatis ac consu-
munt,

munt, & præter propter vitam degunt,
non in ipsâ. Optime autem ii temporis
sui calculum ponere mihi semper visi
sunt, qui literarum cognitionem externæ
elegantiaæ dulci contubernio jungunt.
Moderatur enim librorum amorem, ne
infra sui generis auctoritatem excreseat,
polita illa & ad comitatē magis compo-
sita calliditas: quam vicissim literatæ sapi-
entiaæ dedita mens flectit & gubernat, ne,
dum futilibus & fluxis rebus nimis est in-
tentâ, illud propter quod homines su-
mus, negligat & omittat. Hoc tam augu-
stum & illustre virtutis genus, Viri emi-
nentissimi, nemo est, nisi aut invidus aut
imperitus, qui in vobis non agnoscat.
Vos cum politicam illam & civilem pru-
dentiam ametis; literas etiam ac eruditio-
nem non odistis: quotiescunque à do-
mesticis occupationibus respirare vobis
datur, ad libellos vestros charissimos, tan-
quam portum curarum ac asylum, non
illiben-

illibenter confugitis. Sic cum illiterato-
rum ruditatem excedatis & ignorantiam:
in sordestamen umbraticorum & lucifu-
garum non inciditis. Quæ me res potis-
simum impulit, ut exiguum hoc munus-
culum offerre vobis auderem: qui & dili-
gitis has amœnitates, & judicare de iis o-
ptime potestis. Accedit, quod immeren-
tem me favore vestro & benevolentia
amplecti ac erigere voluistis, & inter cæ-
teros virtutis ac nobilitatis vestræ culto-
res admittere. Non minus autem hunc li-
bellum quam me, acceptum vobis fore
confido. Suscipite igitur immaturum
hunc foetum, & natum pæne citius quam
conceptum, unius & alterius dieculæ stu-
dium: ac, nisi minorum vos tædet, ma-
jora aliquando, si favor divinus & bono-
rum patrocinium accesserit, à nobis ex-
pectate.

Sint Mæcenates, non decrunt forte Marones.

Valete, Nobilissimi Heroes, cum amabi-
lissimis.

lissimis vestris conjugibus (lectissimo so-
rorum pari) ac liberis charissimis: & ama-
te adolescentem, qui vos colit ex animo
& veneratur.

MARTINUS OPITIUS.



AD



AD GERMANIAM.

Accipe festino qua deproperavimus astu,
 Vin dicias lingua, Teutonæ terra, tuæ.
 Heroos patria charæ qui commodet ausus,
 Atque mares animos, unus & alter erit.
 Haud etenim totam virtus Alemana reliquit
 Se, sed & in sera Posteritate viget.
 Ast ego, sancta Parens, cordis monumenta fidelis
 Do tibi, doctrine munera parva mea.
 Ingenium fervore tui sine fine laborans;
 Has Sors divitias, hæc mihi dona dedit;
 Non pomposa quidem, tumidoque superba nitore;
 Nec tamen haud optant de meliore nota.
 Cetera mortales patitur singula casus:
 Quæ venit è charis fama, perennis erit.
 Quis Germanorum tot fortia nomina nosset?
 Quis sciret vires, Carole Magne tuas?
 Nivatum gens dia sequens servasset in avum,
 Et duraturum composuisset opus.
 Vivunt carminibus reges, regumq; triumphis:
 Vindicibus nobis res nequit ulla mori.
 Tu quoq; magna parens, versu celebrare nostro,
 Transibit dotes pagina nulla tuas:
 En tibi promissi pignus leviusse laboris.
 Illud laudis, at hoc sit pietatis opus.

ARI-

Aristarchus, sive de contemptu linguæ Teutonicæ.

Quotiescunq; majores nostros Germanos,
 viros fortes ac invictos, cogito: religione
 quadam tacita ac horrore ingenti percel-
 lor. Augusta enim illa ac libera gens, sola
 divinæ virtutis suæ & factorum memoria reverenti-
 am mihi quandam atque cultum imponit. Romanis,
 totius orbis victoribus, solo pectore adverso resti-
 terunt; & cum illa

Terrarum dea gentiumque Roma

nihil non subjugasset, corda Germanorum, vi omni
 ac impetu majora, expugnare nondum potuit. Exi-
 stimabant quippe heroës animosissimi: patriæ suæ li-
 bertatem non murorum aut urbium magnificentia,
 sed mentis cujusque propugnaculo censer. Hanc ab
 omni injuria, hanc à telis ac potentia securam præ-
 stabant & immunem. Sæpe nervorum ac corporis
 robore, sapius inexpugnabili animorum celsitudi-
 ne cum hostibus dimicabant, ac victores evadebant.
 Arma autem & gladios sola famæ suæ ac laudis recor-
 datione frangebant. Virtutem ac candorem cole-
 bant ira, ut quod aliis longa demum & molesta insti-
 tutione accedit, innatum ipsis ac implantatum à na-
 tura videretur. Jura vero ac leges non tabulis aut æ-
 ri, sed animo quisque suo insculptas circumferebat;
 & quæ metu ceteri præstant ac poenarum formidine,
 pudor iis atque modestia persuadebat. Fidei ac pro-
 missorum

A

missorum

missorum pignus non juramento dabatur, sed innocentia. Hanc non suis modo, sed & hostibus probabant. Accedebat ad vitæ ac gestorum gravitatem, lingua factis non dispar: succulenta illa & propriæ cujusdam majestatis plenissima. Hac excelsæ suæ mentis sensa libere & nullo ambitu explicabant, hac ad arma se invicem hortabantur, hac sæpe sola inimicorum minas quasi fulmine quodam evertabant. Eam tam generosam, tam nobilem ac patriam suam spirantem linguam, per ita prolixam tot seculorum feriem, puram nobis & ab omni externa illuvie mundam tradiderunt. Et confirmare ausim, nullam reliquarum linguarum, fatalem suam periodum, quam in omnibus humanis rebus experimur, per tantum tempus

—vires ultra sortemque senecta

produxisse.

Suavissimus certè Græcorum & delicatissimus sermo barbarie aliorum populorum ita corruptus est ac debilitatus, * ut se hodie in se vix agnoscat, & solo sui desiderio, in invidiam sui & exprobrationem, sibi supersit.

Tantum ex longinqua valet mutare vetustas.

*Vide Lexic.
Meursii Græco
barbarum.

Vide Senecam
Rhetorē Pro-
am lib. 1. con-
trov.

Latinus etiam nitor ultra felicem ac disertam Augusti ætatem se vix reservavit. * Labente namq; sensim urbe æterna, mascula quoque illa & robusta oratio eundem exitum fecit. Sive id fatali quadam lege & occulta ac mystica vi accidit; sive vitio superiorum. Imperantibus enim Claudii, Neronibus & Domitianis monstris hominum ac sceleribus, & quorum sine flagitio ne meminisse quidem possumus; lingua princi-

principibus sui temporis melior esse non voluit. Præter pauca itaque cadentis Eloquentiæ fulcra, minimum omnes instruxerunt. Enati sunt prurientes quidam Rhetorculi, qui argute lascivire, quam bene loqui maluerunt. Omnem conatum, omnem industriam ac laborem curiosa subtilitate consumpserunt; & dum nervositatem affectarunt anxie, nobilem orationis sensum fregerunt, & succum amiserunt ac sanguinem. Picas dixisses aut simios, qui desultoria agilitate saltitant ubique non ambulant, & sibi molestiam, spectatoribus risum creant ac misericordiam.

Ex illo fluere, & retro sublapsa referri

Lingua Italium.

Irruptione enim peregrinorum, cultissimus sermo cecidit cum imperio, & se ipse deseruit. Ac nisi præclara illa ingeniorum monimenta, indulgentia numinū ac cœlesti clementia, reservata huc usq; essent; nihil prorsus de Latina ac Græca eruditione, quam nomen inutile superaret. Quanquam, nisi vanus sum hariolus (atque utinam vere sim) nescio quid mali etiam hodie impendeat, quod venustissimas linguas, quas è sedibus suis ante ac regnis depulit, ex animis quoq; hominum evellet ac memoria. Græca ignoramus multi, plurimi negligimus: & Platonis ac Aristotelis, reliquorum etiam scripta multo diviniissima, ab interpretibus addiscere malumus, quam ipsis. Qui nutricibus mihi non absimiles plane videntur. Illæ namque cibus quos præmandunt, florem plerunque educunt ac animam: infantes autem innocentissimos sputo livente pascunt ac spiritus olentis putredine. Idem nobis accidit; & merito: qui

ne paratas quidem artes audemus cognoscere. Nec felicius sane Latinitatis fatum. Iam quilibet nostrum singularem loquendi ideam aut proponit sibi ipse, aut fingit. Ut loquamur, dummodo non sileamus, perinde est. Salustius antiquum nomen audit, & Criticis curiosissimis mortalium reliquendus. Cicero, præclarus ille quidem Orator, sed qui perpetuo hoc laborat vitio, quod intelligi non erubescat. Quæ calamitas ac invidia Ovidium etiam, poetarum omnium longè ingeniosissimum, deprehendit. Petronius vero, Tacitus, Curtius, Symmachus ac reliquus ille priscorum ordo Lunæ regna sunt, in quæ, præter Endymionem, quem altera demum luce reddiisse perhibent, nemo hæcenus vivorum nisi somniando pervenit. Hæc censura universæ classicorum cohorti intentatur. Novorum interea quorundam, & terræ filiorum inusitatam ac portentosam dicendi rationem, miro iudiciorum applausu, colimus & amplectimur. Sic elegantissimam illam Venerem Romanam & fraudamus decore nativo, & spurio fūco corrumpimus. Prostituiamus denique eam nobis ipsi ac defloramus. Pauci sunt, qui suavissimæ & simulachris omnibus emendatiori deæ misericordiam, pauciores qui auxilium commodant & operam. Ita sensim ac * ὑσώχω ποδὶ Latina illa puritas ad fatale metam tendit; quam brevi elapsam priusquam elabi sentiemus.

* *pedetentim*

* *Sed dies posterius sapientissimi sunt testes.*

* *αἱ μέραι δ' ὅπλοισι μάχην οὐ φώτασι.*

Nos, quanquam Germanum ac liberale pectus horret hoc nomen, mendacio deprehendi & puniri rubore libenter vellemus. Neque latior aliarum quoque

que linguarum Catastrophe: de quibus sermonem facere & impericia nostra vetat, & instituti ratio. Germanorum tamen sermo linguas posterorum, ut fides & candor animos, hucusque indivulsus & incorruptus semper est comitatus. Quotusquisque verò nostrum invenitur, qui aut vindicare eam, aut excolere audeat? Pauci, quod pace vestra liceat, amamus Bonam Mentem, & furere libet cum insanientibus; nec quisquam prodit, qui malo gliscenti & publico delirio occurrat. Exteras regiones periculoso ac incredibili labore, neque sumptibus exiguis peragamus; & impense hoc agimus, ne similes patriæ ac nobis videamur. Sic dum effrenata quadam cupidine peregrinum idioma addiscimus, negligimus nostrum ac in contemptum adducimus. Quasi verò non eorundem vitiorum tellus nostra atque diffusi loci sit ferax, & ab hac gente libidines, ab ista petulantiam, ab illa fastum & superbiam petere sit necesse. Quæ & perpetrari hic possunt singula; & nisi possent, salvo, ut opinor, Reipublicæ statu fieret. Tanti profecto morum novitas & mercimonia linguarum neutiquam emenda sunt. Ego tamen, non ut utilissima peregrinandi consuetudo intermittatur suadeo: sed ut desideratissimæ patriæ nostræ dignitas salubri auxilio conservetur. Sedulo hoc agamus, ut qui à Gallis ac Italis humanitatem mutuamur & elegantiam: non minus ab ipsis & linguam nostram, quod certatim eos facere in sua animadvertimus, perpolire accurate & exornare addiscamus. Inconsulte facit, qui neglectis domesticis externa habet antiquiora. Verum ita natura comparatum est, ut in proprio quisque negotio hebetior sit, quàm in alieno: sive

*Vide Io. à
Wouwer Po-
lymath. c. 30.

lib. 2. cap. 2.

sive id fastidio familiarium rerum, sive exterarum allubescencia, sive denique inexplebili sciendi aviditate accidit. Ea enim mentis humanæ ratio est, ut libero & effreni cursu volitet per omnia, & studio inusitata noscendi sui ipsius sæpe obliviscatur. Multa scire quam multum quilibet desiderat: ut ambitioni modo suæ ac gloriæ velificetur. Si quis strabo saltem oculo alpes transmisit, interesse suæ estimationis autumat, ne quis tam horribile secretum ignoret. Quæ omnia sapiens animus ridet, & alto supercilio contemnit.* Nam & aliud agenti possunt hæc accedere, & plausum populi magis, quam laudem eruditorum merentur; & à viris gravibus nonnunquam etiam plane respuuntur. Magistratum certe Romanum nunquam nisi Latinè Græcos responsa dare, eosque per interpretem loqui coëgis- se, non in urbe solum, sed ipsa Græcia & Asia, Valerius Maximus autor est. Nunc pudet patriæ; & sæpe hoc agimus, ne nihil minus quam Teutonicum idioma callere videamur,

Hoc fonte derivata clades

In patriam populumq. fluxit.

Contemnimus itaque nos ipsi, & contemnimur. Interim purissima & à peregrino squalore libera hæc- nus lingua mutat, & in miras loquendi formulas de- generat. Monstra vocabulorum & carcinomata ir- repunt occulte, ad quæ genuinus aliquis Germanus quandoque vix indignationem, quandoq; nauseam vix tenet. Dicas in sentinam durare hanc linguā, ad quam reliquarum sordes torrente promiscuo defe- rantur. Nulla ferme periodus est, nulla interpunctio, quæ

quæ non ascititium quid redoleat. Jam à Latinis, jam Gallis, Hispanis etiam ac Italis mutuamur, quod domi nascitur longe elegantius. Vidi quoq; qui ne à Græcis quidem se abstineret. Talis illa vox, quæ sine risu non excipiebatur: Jungfrau / sie muß auch das τὸ πρῆτον observiren.

Encor Zenodoti, en jecur Cratetis!

Et tamen, quo quis in his nugis perfectior, eo ma- jor sibi videtur, & seipsum, si diis placet, adulatur. Trojam cepisse autumat, & Hæctori viro fortissimo controversiam de gravitate movisse. Quæ profecto neq; prudentum reprehensionem effugere; neque favorem vulgarium animarum promereri possunt: risum autem & ludibrium foeminis etiam non raro debent. Et quis ejusmodi *μωρολογία effusissimo ca- chinno non prosequeretur? Der monsieur als ein brave cavalier, erzige mir d; plaisir. Quod vir litera- tissimus, & Germaniæ nostræ singulare ornamentum Casparus Dornavius, fautor meus longe gratiosissi- mus, in exemplum citat. Cui musteum hunc & nu- per natum dicendi morem non probari, ex animo gaudeo. Atq; utinam candidi omnes Germani, con- densato agmine satis elegantem linguam nostram servaremus, qui virtutem nondum amisimus. Jam opem nostram, jam auxilia implorat; deturpata cul- tu non suo & deformata. Fingite vobis adesse libera- lis faciei virginem, castam hæcenus & ne spe qui- dem noctis imminutam. Colligite ipsi fractam in gradus comam, ædificate superne, anulo gemmeo cacuminis (ut sic dicam) extremitatem includite. Jam caput Romanum est. Sit humeros manuleato Hispaniæ amictorio, sit mulierū talarū nebula linea

strophio

* decorum.

* Multi lo-
quentiam.

Charidemii
Politi. disput.
2.

* baccha bac-
chanti, ut
Plautus loqui-
tur.

* potestatem
vendendi ali-
quid, penes v-
num populum
aut hominem.
* λιπολόλη-
τον ἔργον, te-
sellatio, seu pi-
cturata mar-
morum crusta
ut Mamertus
vocat in Pan.
* Loquitur de
feminis Grace
garrientibus.
Sat. VI.

* Pauca quidē,
sed vade ar-
gute.

Strophio surgentes cincta papillas.

Ventrem cyclade Gallica, hoc est, exiguam muscam
elephanti corio, circuntendite. Jam Atheniense
peplum illi injiciatur. Nonne * Mænadi insanæ, quam
decenti nymphæ erit similior? Omnia disparia, pe-
regrina omnia, neque quicquam genuinum, præ-
ter id quo foeminæ censentur. Eadem fortuna linguā
nostram, idem casus obruit: non sua, sed suo-
rum culpa. Amamus enim hos naves, & fovemus in-
dies ac imitamur: vitio judiciorum, ac seculi quoq;
Prisca certe ætas id non tulisset. Tiberius militem
testimoniū Grace interrogatū, nisi Latine responde-
re vetuit. Ipse etiā sermone Græco [Tranquilli verba sūt]
quaquequam alias promptus & facilis, non tamen usque-
quaq; usus est. Abstinentq; maxime in senatu: adeo quidem
ut * Monopolium nominaturus, prius veniam postula-
rit, quod sibi verbo peregrino utendum esset: atq; etiam
in quodam decreto patrum, cum * ἐμῆλμα recitaretur,
commutandam censuerit vocem, & pro peregrina nostra-
tem requirendam: aut si non reperiretur, vel pluribus &
per ambitum verborum rem cunctiandam. Juvenalis
quoque eundem morbum false neque acriter minus
insectatur.

* Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla
Formosam, nisi qua de Tusca Gracula facta est,
De Sulmonensi mera Cecropis? (omnia Grace,
Cum sit turpe magis nostris nescire Latine.)
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta; quid ultra?
Concumbunt Grace.

* Παῦτα μὲν, ἀλλὰ μάλ᾽ ἀλγίως, & quidem satis pro Sa-
tyrico-

tyrica libertate. Neque timidior alterius ad Impera-
torem vox: Tu quidem, Imperator, peregrinis ho-
minibus dare civitatem potes, verbis non potes. Id
nos imitemur. Haud enim nobis quicquam, quod
quidem necesse ad rem sit, deesse potest. Ingenium
certe verborum nostrorum & tractus sententiarum
ita decens est, ita felix: ut neque Hispanorum maje-
stati, neque Italorum decentiæ, neque Gallorum ve-
nustæ volubilitati concedere debeat. Cujus rei uni-
cum Marnixii apiarium, in nostrum idioma conver-
sum, optimæ fidei testem arcessere possumus. Quem
quidem librum, quod quidam ita atroci stylo & indi-
gnanti pungunt ac confodiunt, causam profecto non
habent. Nihil sane est in tam festivo opere, quod non
& ad æternam salutem præcepta ingerat, & honesta
suavitate conditum vim quasi asperioribus naturis
faciat, ac nil tale cogitantes expugnet. Delitiarum
omnium pyxidem dixerim, myrothecium Gratia-
rum, curarum medelam, lenam morum: absq; quo
nec ipsa Venus satis venusta. Verba singula majesta-
tem spirant singularem ac elegantiam, & sensus no-
stros non ducunt, sed rapiunt. Adeo inusitata facili-
tas, gratia inexhausta ac lepos ira lectorem detinet,
ut quo magis eadem repetat, eo minus fastidium re-
lectionis ulium sentire sibi videatur. Quæ omnia &
pellicere nos ad se, & invitare ad excogitanda plura
paris elegantiae ac festivitatis debent. Neq; enim tam
abjectè de lingua nostra judicandum, quali in illo li-
bro ita se exhauserit; ut ad similia aut majora etiam
aspirare porro non audeat. Extirpemus saltā spurias
istas & furtim irrepentes loquendi formulas, neq;
hanc maculā inuri nobis patiamur, quasi laboremus

C

inopia

* lib. 4. epist.

* *inopia, vel potius*, ut Plinius noster ait, *egestate patrj sermonis*. Ringantur & inuideant: nec soluta nec astricta oratione cedimus ulli linguarum. Jam pridem maiores nostri (quod & Tacitus, alias satis parcus nostrorum laudum promus, fateri cogitur) avorum suorum fortes ausus carminibus antiquis celebraverunt. Et superant etiamnum quoque non paucæ, quæ Melchior Goldastus vir in commodum ac gloriam Germaniæ natus, eruit ante aliquot annos è situ ac publicavit. Qui calculum etiam posuit, ante cło cc. annos scripta Christianorum Latinis juxta & vernaculis literis in Alemania visa esse. Cujusmodi vero veterum illa Poësis fuerit, Marneri, quanquam sequioris ætatis authoris versicali indices esse possunt.

Der erenspiegel ist du scham/

Swer sich darinne ersiht

Der wirt vnzemen bliften gram:

Du schame ist argen worten vigent / untrüwen
has / vnsteten fluch:

Scham ist ein tugent du mannes namen gegen
frowen prises gih;

Du reinen wib tunt man alsam ir beider lieb
mit schame geschih;

Schame get edelen gesteine vor / vnd turet bas
danne siden tuch;

Schame ist mit bescheidenheit der werden min:
ne bi;

Du scham in eren garten ist ein blüendes zwi;

Du scham ist eren schilt;

Du scham alsam ein reines fint in schöner fros
wen schozen spilt;

Schame zieret reinn wib vnd wirdet edelen man/

Schame

Schame kan leiden vf den ban

Da nie schandentrit kam an,

Swer schame minnet den bkret in schanden dies
nest selten han;

Scham ist ein du hosten tugent/ sagent vns die
meister vnd du buch.

Quæ certe ejus sunt amœnitatis, ut nos pœnitere sermonis nostri non debeat. Et dolendum profecto, tã felicem poëtandi spiritum plane hactenus interceptum fuisse. Cum Italia tot Petrarchas, Ariostos, Tassos; Gallia Marottos, Bartasios, Ronsardos & alios Poëtas præclaros in dedecus nostri & exprobrationem eduxerit: Belgæ quoq; eadem virtute stimulati id ipsum tentaverint. Nec infelicitè sane. Extant enim præter cætera, Danielis Heinsii, hominis ad miraculum usq; eruditi, Poëmata vernacula, quibus ille Latinorum suorum carminum elegantiam non æquavit modo, sed quadamtenus illa & seipsum fere exuperavit. Nos apertis oculis bona fide dormimus: cum tamen non pari modo successu, sed iisdem quoque numeris, gravitate non dissimilibus quib. reliquæ illæ gentes, carmina nostra instruere possemus. Memini Illustri ac Nobilissimo Viro, Dn. Tobia Sculteto à Schvannensehe ac Bregoschitz, Consiliario Imperatoris ac Commissario, &c. Dn. ac Mæcenati meo æternum venerando Germanicos quosdam meos, * Gallico more effictos, versiculos non ita pridem fuisse oblatos. Ibi Ieros Literatissimus conatum meum non improbare non solum, sed & nutu humanissimo solari cepit ac corroborare. Ego ubi ingenio non fuit locus, ut cum Fabio loquar, curæ testimonium promeruisse contentus, nisi successu, laudabili tamen indu-

C. 2.

stria

* In Natalem Hieronymi Cæspari filii ejus an nobilissimi, & p terna virtut se figi expressione

stria., non degenerem patriæ incolam præstare me-
volui. Juvit diligentiam natura, & facilitas provo-
cavit audaciam. Primum itaque illud versuum ge-
nus tentavi, quod Alexandrinum (ab autore Italo,
ut ferunt, ejus nominis) Gallis dicitur, & loco He-
xametrorum Latinorum ab iis habetur. Cujus ex-
emplum apponere non sum veritus.

O Fortung! O Fortun! stieffmutter aller freuden/

Anfeinderin der lust/ erweckerin der noth/

Du todtes leben/ ja du lebendiger Todt/

Durch welcher grimem sich mus manch trewes herke
scheiden.

Sol deine grausamkeit den auch mein junges leben

(Des allen vngeacht das mir Natura mehr

Als ich auch würdig bin geschenetet gunst vnd ehr)

In trübniß vnd gefahr so trawrig lassen schweben?

Du schenckliche Chimæ sieh wozu du mich bringest/

Da ich von kindheit an mit unverwandtem sin/

Standhafte vnd unverzagt alzeit gewesen bin/

Jest bitter zehren mich auch zuvergiessen dringest.

Er bis mit dem zufried: ey las dir doch genügen/

Das deiner stralen brunst an meines alters blum

Die frischen bletter ganz verdörret: diesen rhum

Las dir doch sein genung: mit diesem raub thue siegen.

Ein freyer heldt wenn er den Feind nur überwunden/

Ist er gar wol zu fried': er helt es für rhümlich/

Das/ ob ers köndte thun/ er doch nicht reche sich/

Wail er nun albereit was er gesucht/ hat funden.

Und du/ o schndesweib/ wilst mich so hoch verderben/

Und dir ist nicht genung das du mich so gerührt/

Ja durch viel creuz vnd leide/ durch angst vund noth

geführt/

Du

Du denckest dir auch noch bey mir vmb mehr zuwerben.

Gott aber ist mein schutz/ dem wil ich das vertrauen/

Was mir noch vbrig ist: er ist mein schirm vnd schilt/

Wenn ich ihn nur flieh' an gar keine noth mehr gilt.

Auff ihn wil ich allein in allen nöthen bawen.

Wer sich auff Gott verlest/ der mag gar künlich den-
cken/

Das er alles vnglück so vns offimals zusicht/

(Ob es gleich in der erst schwer vnd gedrang hergeht)

Zu seiner stell' vnd stundt mit freuden werde lencken.

Item hoc breve Epigrammation:

Vollust vnd vppigkeit der welt must du vermeiden/

Und treten mit gedult der scharffen dörner weg/

So er dich tragen sol auff den lieblichen steg/

Und in das schöne schlos der wahren lust vnd freuden.

Variari autem ac transponi hi versus possunt pro libitu.

Aliter enim sibi hac succedunt.

* Die schönheit fleucht hinweg als wer sie nie gewesen;

Wer sie mit Tugend schmückt ist selig vnd genesen:

Als den steht alles wol vnd siehet hurig auß/

Als den wohnt ein schön wirth in einen schönen hauß.

Aliter ista:

Was in der welt die Sonn'/ in der Sonn' ist das
licht/

In dem licht' ist der glanz/ in dem glanz' ist die hitze:

Das ist vns Menschen auch die wahre libes pflicht/

Und ein getrewes herz' :les ist nichts nicht so nütze.

O wie glückselig ist auch in dem höchsten schmerzen/

Der dem ein trewer Freund mit liebes brunst von her-
zen

E 3

Dñ

* His mo-
dus
reliquis facili-
or est, & ut
mihi videtur
elegantior
quoq.

* Francofur.
Marchic. typis
descripta.

Ohn falsch ist zugethan. ein solchen in der noth
Vnd widerwertigkeit halt' ich für einen Gott.
*Aliter rursus ista Ernesti Schwaben von der Hande
politissimi hominis, & mira suavitate morum commenda-
tissimi: cujus tamen Germanica quadam carmina * longe
post vidi, quam de hoc scribendi modo cogitaveram.*

Sonnet.

Ihr die ihr höret an wie mancher sturmwind wehet /
Durch seuffzen ohne zähl in mein reinlein /
Vnd einen weiten bach darin / vol trenelein /
Vnd ein vorlehtes herz vol tausen wunden sehet.
Er lernet wol hieauf was man in Lieb' austsethet /
Darin die junge zeit mich lies ergeben sein /
Als ich für wahre lust hielt' einen falschen schein /
Darüber mich jezund hergliche reu' umbsethet:
Vnd flichtet solche brunst vnd ihre süsse Gist /
Der eiteln schönheit glanz / die uns das Herz schnel
trifft /
Vnd angst vnd schmerzen vol wiglos herum-
tet:

Ohn Tugend ist schönheit nur ein triegliches Kleid;
Wer solcher dienstbar ist / dem lohnet reu' vnd leidt:
Aus Tugend wahre lust allein wird zubereitet.
Ejusmodi itaque, ut cernitis, versus deduci varie ac
instrui possunt: quod & Germanica mea Poëmatia,
quæ aut cum Latinis, aut seorsim aliquando, volen-
te Deo, prodibunt

* in dulce
lumen solis

εις γλυκερὸν φάσμα εὐλοιο,
ostendent amplius & edocebunt. Observandus sal-
tem accurate syllabarum numerus, ne longiores duo
versus tredecim, breviores duodecim syllabas exce-
dant: quarum in his ultima longo semper tono; in illis
molli

molli & fugiente quasi producenda est. Et * *ἀνεξέως* * diligenter
attendendum, ut ubique sexta ab initio syllaba di-
ctione integra claudatur, & versus ibi veluti Inter-
secetur. Est & aliud genus, quod Franci *Vers communis*
appellant, decem ac undecim syllabarum, quod post
quartam respirat semper & interquiescit. Hoc
modo.

Der liebe brunst bald freude macht dem herzen /
Bald lohnet sie mit wehmut vnd mit schmerzen /
Es ist ihr glanz ein schatten vnd ein schein /
Vnd ihre lust ist bitter / süsse peim.

Ernestus Schwabe:

In dieser zeit nur der Sterbliche dichtet /
Wie das sein schatz sey heufftig zugerichtet /
Die Gottesfurcht in dessen (ach der Noth!)
Entschlaffen ist / so sie nicht gar ist Todt.

*lum & hoc: è vocalem in fine dictionis posi-
tam, sequente altera vocali proximi verbi initio, in
quibuscunque versibus semper elidi. Quia vero mos
hic novus est Germanis & inusitatus, ne litera è tam
crebro absorbenda difficultatem rudioribus afferat,
non incommode eximi potest, & ejus loco tale si-
gnum' apponi. Quod & Schvvabius docet ac obser-
vat. Ejus exemplum hoc est.*

Möcht' ich dein schatten sein! ja deines schattens schat-
ten!

Vnd Echo deiner stimmi'! auff das ich künde' / erstat-
ten /

Was mir hat die Natur vnd die Erfahrungheit /
Vorsaget an Vorstand' an kunst vnd wissenheit.

Uc

Ut compendio dicam, nullum illarum gentium car-
minis genus reperitur, quod Germanica lingua, ut
ut rudem eam vocitent ac asperam, amulari ne-
queamus. Anagrammatismos etiam, si frivolis e-
jusmodi aureum tempus jugulandum est, non in-
feliciter sane conquirere nuper dicimus: nisi idem
nobis accidit, quod Narcisso

— cui gloria forma

Ignem cupidineo proprios exarsit in artus.

Tale est hoc nostrum:

Lobias Scultetus von Schwanensche vnd Bregos
schis.

Gott ist vnser schutz vnd schild / ob schon was eben
taue.

Item hoc:

Johannes von Landtsfrone der jüngere.

D fron des hauses: leid nur gern an in not.

Du adeliches blut / der welt vnd ihres sauses

Geh müßig wie du thust / leid nur gern an in not /

Vnd schlag der Lugend nach / so wird man dir / nechst
Gott /

In künfftig schreiben zu: D fron des ganken Hau-
ses.

Tale illud alterius cuiusdam in Vratislaviae suae (ma-
gnificentissimi totius Silesiae Amphitheatri) * λαμ-
πρόν φάος καὶ μέγα κῦδος Bucretium.

Daniel Kindfleisch.

Ein friedliches Landt.

Item:

Laß friedlich dienen.

Item

Item:

Daniell Kindfleisch.

Seid allen freindlich.

Item istud in ejus filiam:

Margareta Kindfleisch.

Ein tröfflicher Smaragdt.

Effinxit etiam Schvvabius Anagrammata non pau-
ca: & quaedam haut ita infelici genio: quorum unum
& alterum hic addam.

Helena Roggen.

Oh ringe lange.

Weil das Glück vnter dir du heltest in dem zwange /
Vnd dir sein lachen nicht erschwelen moß das hers /
-o Weil auch sein trutz vnd macht dir ist ein blosser
-o schern /

Spricht jedes tapffers hers / heldin: oh ringe lange!

Helena Roggen.

Engel ohne arg.

Ganz Engelich bistu an gestalt vnd geberden;

Dazu dein Nahme wil / wenn er durchmenget
ist /

Auch bringen an das licht / wer du inwendig bist /
Denn Engel ohn' all arg soltu genennet werden.

Johannes Rogge.

Jage ohn sorgen.

Weil du in der Welt jagt / kanst frey ohn sorgen jagen /
So ja ge frölich hin / vnd genies deiner Lust:

Nicht allen ist die Jagt sorglos al sobewust /

Denn vielen muß sie sein vol sorgen / grenen / plagen.

Nemo igitur ignorare diutius potest, nihil ob stare
quo minus nostra etiam lingua emergat imposte-
rum ac in lucem protrahatur: lingua venusta, lingua

D decens,

* splendidū
lumen &
grande decus

* sesquimille,
ut quidem
computat Gol-
dasius.

decens, lingua gravis ac patriæ suæ, tot ingentium
heroum nutrice, dignissima, lingua quæ integra &
incommista

* tot jam labentibus annis

ad nos pervenit. Hanc, si qui cælo vestro, hoc est,
vobis ipsis non invidetis, amare, hanc capite, hic
viros vos præstate. Hic Rhodus, hic saltus. Quod si
precibus dandum aliquid & obsecrationi censeris: per
ego vos dilectissimam matrem vestram Germani-
am, per majores vestros prægloriosissimos oro & ob-
testor, ut nobilitate vestra gentisque dignos spiri-
tus capiat; ut eadem constantia animorum, qua
illi fines suos olim tutati sunt, sermonem vestrum
non deferatis. Proavi vestri, fortes & inclyti Semo-
nes, animam proaris ac focis efflare non dubitave-
runt. Vos ut idem præsteris, necessitas minime jam
flagitat. Facite saltem, ut qui candorem in generosis
mentibus vestris servatis illibatum, oratione quoq;
illibata proferre eundem possitis. Facite, ut quam
loquendi dexteritatem accepistis à parentibus vestris,
posteritati relinquatis. Facite denique, ut qui
reliquas gentes fortitudine vincitis ac fi-
de, linguæ quoq; præstantia iisdem
non cedatis.



J. N. J.
Per Schediasma

De

ERUDITIONIS
GENUINÆ NATURA,
PARTIBUS & EFFECTIBUS

edifferens

*NOBILISSIMOS pariter atq; LITERATISSIMOS
Lycei Laubanensis*

PATRONOS atq; FAUTORES,
ad audiendam patienter & benevolè
Orationem

de

PRÆSTANTIA HUMANÆ NATURÆ,

q̃z

2^o d. 22. Martii 1697. peractis Sacris matutinis, græcè, latinè &
germanicè in soluto æq̃e ac ligato sermone de-
clamabitur,

*câ, quâ par est, observantiâ & Humanitate
rogatus invitatur*

M. Friedrich Bude /
Lycei Sub-R.

Excudebatur Lauba.